


Zur
Gräfl.vom Hagen'schen

Majorats - Bibliothek



MÖCKERN


gehörig

No 1415

27
we

16

IO. GEORGII ESTOR IC.
COMMENTATIO
DE
PRAESUMPTIONE
CONTRA RVSTICOS
IN CAVSSIS OPERARVM
HARVMQVE REDEMPTIONE
LICITA.



IENAE EX OFFICINA RITTERIANA
A. O. R. c151000xxxxii.



SECTIO PRIMA
DE
PRAESVMPTIONE CONTRA RVSTICOS
IN CAVSSIS OPERARVM.

SYNOPSIS

SECTIONIS PRIMAE.

- §. I. **F**REQVENS vsus argumen-
ti de operis rusticorum.
- §. II. Plerique auctores perperam
in eo versantur, dum ad ius ci-
uile confugiunt.
- §. III. Quod probatur.
- §. IIII. Remouetur dubium. Sen-
tentiam meam ab vsu et consue-
tudine forensi non alienam esse
ostenditur.
- §. V. Ne noua videantur nostra
practica, sciant idem statuere
DE LVDOLVFF, et DE BER-
GER, atque
- §. VI. MEVVM, itemque BOEH-
MERVM,
- §. VII. VIII. IX. THOMASIVM
ac PERTSCHIVM, DE LEY-
SER, et denique OCKELIVM.
- §. X. Quum ergo in iure civili ni-
hil de operis inueniatur, res e
iure Germanico est repetenda.
- §. XI. Mancipiis Germani uteban-
tur ad seruitia.
- §. XII. Id quod ignorarunt multi,
hinc origo peruersae sententiae
de praesumptione libertatis rusti-
corum reperitur.
- §. XIII. Probatur pacto operarum
inedito, inter Schenckios Her-
mansteinenses, et eorum rusticos.
- §. XIV. Ex eo demonstratur occasio
distinctionis operarum in deter-
minatas et indeterminatas.
- §. XV. Adbuc illustratur.
- §. XVI. Quoniam ergo distinctio
operarum multis rusticis recen-
tiori aeuo succurrit, docetur
olim

- olim cunctas, secundum regulam, indeterminatas fuisse.*
- §. XVII. *Definiuntur operae.*
- §. XVIII. *Enumerantur species variae operarum.*
- §. XIX. *Definiuntur indeterminatae et determinatae.*
- §. XX. *Illustrantur indeterminatae.*
- §. XXI. *Formantur ex dictis conclusiones.*
- §. XXII. *ad §. XXVI. continentur eae.*
- §. XXVII. *Conclusio, quod praesumptio sit contra rusticos, firmatur conclusis senatus imperialis aulici.*

§. I.

NIHIL fere magis tritum ac peruulgatum in foro est, nihil tribunalia iudicum frequentius exercet, et calamos advocatorum saepius fatigat, quam lites praestandarum operarum creberrimae, eaeque grauiissimae, quae rusticis cum territorii dominis, aut cum nobiles tum mediatis, tum immediatis solent intercedere, vel quas domini cum rusticis habent. Alii enim rustici nimium operarum sibi imperari queruntur, et nimis grauibus incommodis affligi, et tantum non iniuriis se opprimi, anxie contendunt.*

* Huc referendae sunt lites, quas principi Hohenzollernano illi, qui imperio eius subiecti sunt, intenderunt, item ea, qua incolae et habitatores regionis Gründauensis et comes Isenburgicus distinebantur. Controversiam comitis de Solms et Braunfels, cum eis, qui sub eius potestate in regione Hoyngensi viuunt, paucis enarrat IMMAN. WEBER, in opusculo *de rustico seditioso*, §. XXXI. p. 66.

§. II. Quo

§. II.

Quo magis vero litibus operarum per-
strepunt iudicum tribunalia, hisque nego-
tiis distinentur practicorum ingenia; eo ma-
gis in hoc argumento versantur et occupati
sunt iureconsultorum labores, futiles tamen
maximam partem. Peregrino enim, hoc est
nullo fundamento, superstruunt telam, quae
multo fragilior est, quam araneorum.

§. III.

Obstupesco fane, quoties hodierna die,
qua lux historiae tales dispulit tenebras, de
practicorum, vt vocari gestiunt, doctrinis
cogito. Hi quoniam praxeos est, vti lo-
quuntur, alter alterum, vt grus gruem, hac
in parte sequuntur, ac scita, vel decreta iu-
ris Romani tam inepte hic applicant, vt fae-
pe mirari subierit, cur tales non aequae togas
Romanorum induant? mensae, more veteri,
accumbant? cereuisia et vino nostro relictis,
Quiritium potum pariter adsciscant? Iniuri-
ri profecto, cum in patriam nostram, tum
in clarissima Romani iuris principia, in pro-
oemio titulo *Institutionum, de officio iudicis*, ex-
posita,



posita, tum denique in leges imperii Germanici, praesertim recessum imperii nouissimum §. cv., qui patrios mores non sine causa inculcat, et sanam iuris ciuilis applicationem nobis suadet, ineptam vero magnopere prohibet. Ius ciuile Romanorum est magnae auctoritatis, et ius commune nostrum, eritque, ita tamen, vt status habenda ratio, an quadret huic, nec ne? Sicut nobilium nostrorum conditio plane alia est, ac Romanorum, quod alibi* e PERIZONIO demonstraui; sic etiam differt rusticorum nostrorum status, a rustica Romanorum gente.

* In commentariis de ministerialibus, capite quinto §. ccxxxviii. p. 313.

§. III.

Hinc sequitur, vt ea, quae de nobilibus ac rusticis in iure ciuili leguntur disposita, plane non sint consentanea nostris institutis. Risui se exponeret ille, qui cuncta iura, quae in veteri testamento leguntur constituta, nostrae vellet accommodare reipublicae. Sed hanc superstitionem iuridicam quantum satis est, exagitauit, AV-

GVSTI-

GVSTINVS DE LEYSER in disputatione de superstitione iuridica.

§. V.

Nec tamen ego solus sum, qui reprehendo detestorque ineptum iuris vsum hoc in argumento. Etenim praeter alios iam castigauit eiusmodi vultures togatos GEORGIVS MELCHIOR DE LVDOLFF *variarum obseruationum forensium libro*, obseruatione quinta et centesima, nota sexta, p. 281. *Hic vero, inquit, iudex non mouebitur allegationibus, quas ex BALTHASARIS, ERHARDI, aliorumque opusculis depromere solent aduocati, vt cause inseruiant subditorum contra dominos; operarum exactiorem esse iuri communi aduersam: omnes praestationes credi debere vitiosas, adeoque restringendas in dubio. Et quae alia ex principis iuris Romani male deriuantur, vel ex applicatione inconsulta tituli Codicis Iustiniani libro vndecimo, ne rusticani ad vllum obsequium deuocentur, ad ius Germanicum. Haec ille.*

§. VI.

Leuitatem argumenti, quod inuita plaine Minerua, a statu Romano desumitur, quo-

quoque perspexit CHRISTOPHORVS HENRICVS DE BERGER, in opusculo *de iure ordinum imperii territoriali circa operas subditorum* §. XXIII. p. 22. Idem docet celeberrimus in foris nostris iureconsultus, DAVID MEVIVS quaestione prima, in libro, quem confecit *von Abforderung der Bauren*, vt obseruavi parte quinta *der kleinen Schriften*. Egregie hic philosophatur IVSTVS HENNINGVS BOEHMER in opusculo *de iure et statu hominum propriorum a seruis Germaniae, non Romanis deriuando*. Tanti sunt ponderis eius rationes, vt mea non solum probe suffulciant, sed etiam praeclare ornent. *Est iuris Romani*, ait, *in Germania auctoritas non leuis, sed non tanta, vt aut rationem vincat, aut mores antiquos. Sunt plura instituta in Germania, a statu rei Romanae deuiantia, quae proinde iure Romano regi nequeunt. In hoc tamen peccant non pauci, qui iuris patrii neglectum ubique produnt, et soli iuri Romano insistendum esse credunt, vnde non potest non laeta errorum seges nasci, id quod ex hominum nostrorum propriorum iure et conditione, quae ex seruorum, libertinorum, colonorum et adscriptitiorum Romanorum iuribus incautius con-*
sarci-

sarcinari solent, planum fit. Huc quoque faciunt, quae idem commentatus est in opusculo *de imperfecta rusticorum in Germania libertate.*

§. VII.

Ne autem quis temere obmoueat, aliud esse, quod rustici olim fuerint homines proprii; aliud iterum materia de operis: eum rogo, vt exspectet paullisper, videatque quorsum pertineat progrediaturque argumentum meum? Namque ostendam ego, operas esse seruitutis effectum apud Germanos.

§. VIII.

Ante vero quam hoc ago, eorum in gratiam, qui fortassis, me nouatorem esse temere iactitant, et ignoratam practicis proferre doctrinam, sibi persuadent, nominabo, quos hoc in argumento consentientes habeo. Sunt hi CHRISTIANVS THOMASIVS, cuius philosophiam, hac de re, velim ipse legas, capite I. §. LIII. dissertationis *de distinctione hominum in liberos et seruos*, et IOANNES GEORGIVS PERTSCH, in *dissertatione iuridica, diuisionem operarum in determinatas*

B

et

et indeterminatas, earumque exactionem, sistente,
 §. LI. p. 39. 40. AUGVSTINVS DE LEY-
 SER, specimine CCCCXVI. meditationum ad
 pandectas, meditatione I. pag. 1065. vbi gra-
 uiter eos errare scribit, qui ex titulis Codi-
 cis *ne rustici ad vltum obsequium deuocentur, et
 ne operae a collatoribus exigantur*, ad nostros ru-
 sticos argumentum nectunt, dum rusticos
 Germanorum et Romanorum toto, vt aiunt,
 coelo differre constat. Romanos rusticos li-
 beros ac saepe honesto loco natos fuisse, qui
 tumultus urbanos perosi, ruri in praediis
 suis vixerint, ac procul negotiis, paterna
 rura bobus et mancipiis suis exercuerint.
 Apud Germanos autem rem secus se habere
 docet. Et licet conditio rusticorum sensim
 melior minusque dura fuerit effecta; inde
 tamen non sequi putat, vt libertas illis obti-
 gerit omnimoda, sicut dici non possit, ser-
 uitudinem Romanam post sublatum ius vitae et
 necis sublatam fuisse. Itaque quum res in
 eodem, in quo olim fuit, statu mansisse cen-
 seatur, nec mutatio praesumatur, sed, quo-
 niam in facto consistit, probari debeat: exi-
 stimat non solum in Saxonia electorali, sed
 in

in omnibus terris, quae olim Saxonico iure
vfae fuerunt, praesumptionem pro nobilibus
praediis, quod scilicet iis operae a rusticis
debeantur, contra libertatem esse.

§. IX.

Quae quum ita sint, omnino patescit, ad-
modum ridiculum esse axioma, quod semper
crepant rusticorum caussidici: seruitus non
praesumitur. Ex quo magis ineptam du-
cunt consequentiam, vt, quemlibet praesu-
mi liberum, aiant, nisi contrarium doceat-
ur. Dicendum potius atque statuendum,
praedia rusticorum Germanicorum magis ser-
uitiis obnoxia, quam libera praesumi. Ve-
rum haec non sunt ex re rusticorum horum-
que caussidicorum, nec bona his, nec commo-
da videntur. Ideo, semper ad leges ciuiles
recurrendum esse, fatius ducunt, et, eierata
veritatis luce, cespitare malunt, quam vera
sequi, quia haec clientibus suis haud pro-
desse vident. Loquatur pro me ANDREAS
OCKEL de *praescriptione immemoriali*, capite II.
thesi XIX. p. 41. *Solent quippe, inquit, non
nulli rabulae, quamuis sciant nobiles esse in posses-*

sione seruitiorum, idque confiteantur, actionem negatoriam instituire, putantes, hacce via se onus probandi posse conuicere in nobiles, ob praesumptionem libertatis, quam iactant, sed ubi acta ad iuris peritos transmittuntur, falluntur, et cadunt sua spe. Praeterea suam sententiam duobus responsis firmat, eique superaddere poteris auctoritatem DAVIDIS MEVII parte VIII. decisione CCXCII.

§. X.

Quoniam ergo operarum doctrina ex iuris Romani traditis, salua veritate, diiudicari nequit; ad Germanorum instituta recurrendum est. Tantus vero apud hos erat seruorum numerus, quantus vix concipi potest, quemque recte dixeris innumerum. Ostendi hoc in opere de *ministerialibus*, atque ex instituto in *specimine iuris Germanici de hominibus propriis Germaniae, in Westphalia praesertim superstibus*, parte v. *der kleinen Schriften*.* Hi serui, quos posterior aetas, molliori nomine, homines proprios appellauit, et qui nostro tempore rustici audiunt, operas domino praestabant omnes, quas fieri domino vel utile vel volupe erat. Ignorabat patria
nostra

nostra famulos mercede conductos, quibus hodie vtimur. Longobardi famulos mercenarios interdum alebant, prout commonstrat IOANNES FRIDERICVS POLAC in *systemate iurisprudentiae civilis Germanicae antiquae* libro I. capite XV. §. XVII. p. 65.

* Itali quoque seruis vtebantur eiusmodi, id quod patet ex FONTANINI libello, quem parte II. *der kleinen Schrifften* exhibui. In comitatu Burgundiae (Franche Comté) seruitutis species reperitur, quae vulgo *main-morte* appellatur, et homines ad operas compellit, prout ex instituto docetur in libro, cui praescriptum: *traité de la main morte et des retraits* par M. F. I. DVNOD, ancien avocat au Parlement et Professeur royal dans l'Vniuersité de Besançon, 1733. 4to.

§. XI.

Quo autem videas, Germanica mancipia operas suas seruiles dominis suis tribuisse; enarrabo verba tituli XXII. legis Alamanorum: *ancillae autem opera imposita sine neglecto faciant, serui dimidium sibi, et dimidium in dominico aratiuum reddant, et si super haec est, simul serui ecclesiastici ita faciant, tres dies sibi et tres in dominico.* In eandem sententiam loquitur, lex Baiuuariorum titulo I. capite XIV.: *serui autem ecclesiae secundum possessionem suam*
B 3
reddant

*reddant tributa, opera vero tres dies in hebdomada in dominico operent, tres vero sibi faciant; Si vero dominus dederit eis boues aut alias res, quas habet, tantum seruiant, quantum eis per possibilitatem impositum fuerit, tamen iniuste neminem opprimat: et titulo decimo quinto, capite vndecimo legitur: reliqua ornamenta, quae mancipia mea ex propria mea materia laborarunt, et fecerunt, aut fabri huiusmodi si fuerint, propterea tradidi et firmabo, (hoc est, si vendidero, euictionem praestabo emtori). Coniungitur cum his, velim, quae in medium protuli in commentariis de ministerialibus, capite II. §. CCII. CCIII. CCIV. CCV. p. 278. 279. 280. 281. 282. 283. 284. et quae commentati sunt FRIDERICVS CAROLVS BVRI p. 723. *der Erläuterung des Lehenrechts*, GOTTOFREDVS GVILIELMVS L. B. DE LEIBNITZ *collectaneorum etymologicorum* tomo II. p. 415. seqq. atque IOACHIMVS POTGIESSER *de conditione et statu seruorum apud veteres Germanos tam veteri, quam nouo*, libro II. capite III. §. IIII. p. 195. 196. §. VIII. p. 200. 201. itemque CAROLVS DV FRESNE in *glossario ad scriptores mediae et infimae latinitatis*, volumine I. tomo I. columna 214. et volumine II.*

tomo

tomo III. columna 55. ac denique IOAN. NICOL. HERT volumine II. *responsorum* decisione CXXXIV. p. 118. 119. Ergo operae e domino in homines proprios suam trahunt originem, id quod ex instituto pertractauit IOACHIMVS POTGIESSER in commentario *de statu seruorum in Germania* libro II. capite VII. §. XII. Igitur ad operas obligati sunt ex veteri potestate dominica, teste IVSTO HENNINGO BOEHMERO volumine II. parte I. consilio XXII. n. 8.

§. XII.

Quemadmodum vero seruitus magis tolerabilis sensim fieri coepit; * ita non potuit aliter contingere, quam vt operarum duritiam quoque mollirent nouae de seruitute cogitationes, quippe quam pro re detestabili et a christiana religione aliena habebant clerici. Quo etiam effectum est, vt successu temporis seruitutis nomen fere cessaret; ope autem iuris ciuilis, libertas rusticis attribuere-
 tur, hique ambabus manibus eam amplecterentur. Si ergo dominos inuenerunt rustici, rerum suarum et iurium incuriosos nec tenaces institutorum pristinorum; serui liber-
 tatis

tatis praesumptione arrepta, quasdam, prout libuit, dominis tantum operas exhibuerunt. Quod dum per aliquod tempus continuauerunt; iudex, iuris ciuilibus traditus imbutus, eiusmodi rusticos liberos homines credens, eos facile tuitus est in quasi possessione libertatis, et, ignarus pristinae seruitutis Germanicae, dominum abstinere iussit ab exigendis operis indeterminatis. Inde factum, ut permulti nobiles cum rusticis pacta iniuerint, quibus operarum dubia praestatio fuit definita.

* In caussas inquisiui parte v. *der kleinen Schriften* p. 139. sqq.

§. XIII.

Id quod dixi, exemplo quodam illustrabo. Docent plures litterae clientelares, Schenckiiis datae, tum veteres, apud IOANN. CHRISTIANVM LÜNIG in *corpore iuris feudalis* tomo II. prostantes, tum recentiores, parte I. p. 108. *der kleinen Schriften* legendae, quod serenissimi Hassiae Landgrauii Schenckios inuestiant cum castro Hermanstein, et eo pertinentibus hominibus propriis. Didici quoque ex literis, antiquitatem olentibus,
omnes



omnes huius pagi incolas homines fuisse proprios, ac ideo praestitisse operas indeterminatas. At vero docuit temporis successus, negatam ab ipsis fuisse seruitutem recusatasque operas indeterminatas. Ventum itaque ad lites acerrimas, sed transactione sequenti res fuit demum decisa anno cIo Ioc XII., die vicesimo mensis Nouembris sub auspiciis IOANNIS KITZELII academiae Giessenae Cancellarii: *Zu wissen, als zwischen denen Ehrwürdigen, Gestrengen und Ehren-Vesten Sämmtlichen Schencken zue Schweinsberg, Hermansteinischer Linien, an einem, und derselben Vnterthanen, Heimburger und Gemeind zu Hermannstein am andern Theil, sich etliche Irrungen und Gebrechen, der Dienst etc. halben ereignet, und dann iedes Theil zu Hinlegung solcher Gebrechen einen Beystand und Vnterhandler, nemlich die Iunckern den Ehren-Vesten und Hochgelahrten IOHANN KITZELN, beyder Rechten Licentiaten und Professorem in der Vniversitat Giessen; die Vnterthanen aber den Ehrenhaften und vorachtbaren IOHANN GÜNTHERN, Fürstlich-Hessischen Renthmeistern zu Königsberg gebraucht, daß sie uf gepflogene Handlung, und Anziehung iedes Theils*

C

recht-

*rechtſam, nachfolgender maſſen mit einander ver-
 glichen und vereiniget worden: Erſtlich die Dien-
 ſte betreffend, nachdem die Vnterthanen vorbracht,
 daß ſie vor Alters nicht mehr, als dreyzehen Ta-
 ge zum Hauß Hermannſtein gedienet, und alſo ge-
 meſſene Dienſte allein ſchuldig waren; hingegen
 aber die Iunckern eingewandt, daß ſie, die Vnter-
 thanen niemahls ein Jahr, wie das andere gedie-
 net, ſondern nach Gelegenheit und erhei-
 ſchender Nothdurft, nach uſerfordern, aller-
 hand Fabr- und Hand-Dienſte, am Bauen, Acker-
 Bau, Holtz, Stein, Kalck, Heu-Frucht- und an-
 dere Fabrten, wie ingleichen mit Arten (Ackern)
 und Fabrten, item zur Flachs-Bereitung, und vie-
 len andern Gebräuchen geleistet hätten, ſie auch
 wegen Nehmung ſolcher unterſchiedener ungemes-
 ſener Dienſten in üblichen Gebrauch und Her-
 kommen wehren. So iſt es endlich uf allerhand vor-
 geſchlagene Mittel und gepflogene Handlung dahin
 verglichen, auch von beyden Theilen angenommen
 und beliebt worden, daß Sie, die Vnterthanen, ie-
 dem Hauß zum Hermannſtein iährlichs zehen,
 und alſo zwanzig Tag zuſammen, doch alſo und
 dergeltalt, daß die Acker-Leute jedem Hauß die
 Helft, oder fünf, und alſo zehen Tage zuſammen,
 uf*

uf Anweisen der Iunckern, wie ein ieder bespannet, fahren; Die übrigen zehn Tag aber, wie in gleichem auch die Einleuftigen ihre zwanzig Tag Hand-Dienste leisten, nach Leistung solcher Diensten, von den Iunckern, dem Herkommen nach, mit Essen, und wie es mit andern Vnterthanen hieherum gehalten wird, versehen werden sollen.

Vnter welchen Diensten aber gleichwohl die Haltung gemeiner Stege, Wege, Brücken, Mühl-Bau-lagd-Dienste und Obrigkeits-Folge nicht gemeinet, sondern mit den Vnterthanen, wie gebracht, auch hinfürter soll gehalten werden, de-rentwegen sie, die Vnterthanen, den Iunckern um einen leidlichen Taglohn vor andern zu arbeiten schuldig seyn, etc. etc.

§. XIV.

Nihil clarius ea, quae dixi, poterit demonstrare, atque nos ad veram originem discriminis inter operas determinatas indeterminatasque deducere. Nec ab re erit, si addas manumissionem. Hanc enim si impetrarent homines proprii, quasdam operarum species dominis suis sunt stipulati. Utuntur hoc argumento CHRISTIANVS THOMASIVS TOMO IIII. *observationum Halensium,*



obseruatione II. ANDREAS OCKEL *de praescriptione immemoriali*, capite II. thesi XVIII. p. 41. et IOANNES GEORGIUS PERTSCH *de diuisione operarum in determinatas et indeterminatas*, §. XLIII. p. 33. Et recte, quoniam vnus rei plures esse possunt causae. Hoc tamen nondum a me potui impetrare, vt in sola manumissione originem discriminis operarum determinatarum et indeterminatarum quaerem.

§. XV.

Quis enim credat dominos tam prodigos in libertate fuisse, vt totum pagum manumitterent, et libertate donarent. Fingas etiam, hunc illumue dominum, quemdam vicum, eiusque incolas cunctos liberos esse, iussisse. Quis, obsecro, argumentum a Caii Titiue liberalitate ad vniuersam Germaniam traheret? Interea, vt iam §. XIII. dixi, hoc non abnuo, antequam seruus quidam libertatem nactus fuit per manumissionem, eum ad operas vel paucas, vel cunctas, quas imperauerit dominus, sese potuisse obstringere, atque saepius etiam se, ad eas praestandas, obligasse. In eo tamen solo manumissio-

missionis genere operarum determinatarum ac indeterminatarum distinctionem reperire nequeo. *

* Nulla enim firma adest consequentia; hic est manumissus, ergo dominus ei operas vel plane remisit vel restrinxit. Potuit autem euenire, vt manumitteretur aliquis, et nihil de operis domino dandis, conueniret. Hoc in casu vtique operas indeterminatas praestare debet liberus, non obstante manumissione. Hinc minus accurata videtur GEORGII BETERI in *delineatione iuris Germanici* p. 23. distinctio inter homines proprios, et liberos rusticos, qui in illis praesumptionem operarum indeterminatarum tantum esse statuit.

§. XVI.

Regula igitur in Germania haec est; operae rusticorum Germaniae fuerunt indeterminatae. * Recte ideo AVGVSTINVS DE LEYSER specimine CCCCXVII. *meditationum ad pandectas* p. 1081. operae, inquit, rusticae olim omnes indeterminatae fuerunt, hoc est exigi semper, quoties dominus iussit, potuerunt. Ergo adhuc determinatio, si a rusticis allegetur, probanda est. Idem sentit FRIDERICVS CAROLVS BVRI loc. cit. p. 742. Consona cum his est sententia GEORGII MELCHIORIS DE LV-DOLFF in *variarum obseruationum forensium libro*, obseruatione centesima quinta p. 278.

C 3

Hic,

Hic, ait, (scilicet dominus personarum, de quo loquitur,) quicumque sit, operas indeterminatas postulando, intentionem habet etiam fundatam, donec aliud probeatur. Adstipulatur IVSTVS HENNINGIVS BOEHMER de iure et statu hominum propriorum a seruis Germaniae, non Romanis deriuando, sectione tertia §. XIII. p. 57. 58., et in opusculo de imperfecta libertate rusticorum in Germania. Huc quoque facit doctrina DAVIDIS MEVH, parte III. decisionum, decisione CXXXI. Non attinet, hic confutare doctorum turbam, quae in leguleiorum chorda oberrat, dum vir eruditus, et qui protosyndici Hildesienfis munere iam fungitur, IOANNES GEORGIUS PERTSCH, in dissertatione, quam dixi, eorum futes ratiunculas feliciter profligauit. §. XXXXVIII. et sequentibus p. 38.

* CHRISTOPHORVS HENRICVS DE BERGER *de iure ordinum imperii territoriali circa operas subditorum §. XVIII. p. 16. existimat, in comitatibus Wetterauicis et Rhenanis, in primis Isenburgensi et Solmensi, rusticos ad operas indeterminatas, domino territorii praestandas, esse obstrictos. In caussa des Schlosses und Gerichts-Baumeister und sämtlicher Ganerben zu Staden wieder deren Vnterhanen und Gemeinden zu Ober- und Vnter-Florstatt und Stammheim, mandati de praestando operas indeterminatas, senatus imperii aulicus anno 1710. ccccxxviii. decidit: werden*

den die Imploranten die possession vel quasi ihres Vnterthanen zu ungemessenen Frohnen anzuhalten, besser, als beschehen, erweisen, so ergebet fernere resolution. Interim IVSTVS HENNING BOEHMER de hominibus propriis sectione III. §. XIII. existimavit, eum qui eas definitas esse adfirmet, hoc probare debere. Vide eundem volumine II. parte I. consilio XXI. n. 21. sqq.

§. XVII.

Vt vero cuncti intelligant, quid ego per operas intelligam, quidque mihi significant determinatae vel indeterminatae? dicam duobus verbis. Ago de operis cum rusticorum, tum civium * quae partim labore corporis, partim iumentis, domino praestantur.** Operas itaque voco labores, ad quos rustici, et qui cum his eiusdem sunt originis, in emolumentum alterius praestare debent.

Labores dico, vt indicem varias operarum species, quas partim homines soli, partim ope iumentorum tribuunt domino. Per rusticos intelligo liberos Germaniae. In quibus autem prouinciis nondum manumissi fuerunt, sunt homines proprii in dominio alterius viuentes. Multi ciues in oppidis fuere olim homines proprii, antequam pa-
gus,

gus, quem incolebant, iura ciuitatis est adeptus. In emolumentum alterius dico, vt suis sumtibus hoc fiat, et ne alimenta, quae interdum petunt rustici, superent pretium laboris. Id quod in diiudicandis litibus de alimentis, et de tempore, quo exiguntur operae probe erit obseruandum. Praestare debent has operas rustici, ita quidem, vt, si negent operas, domino ius cogendi competat.

* Huius rei exemplum habes parte i. *der kleinen Schriften* p. 73. §. LVII. et in ciuibus Apoldanis.

** Confer partem i. *der kleinen Schriften* p. 72. 73. §. LVI. LVII. et *specimen iuris Germanici de hominibus propriis Germaniae*, quod prostat parte v. *der kleinen Schriften*.

§. XVIII.

Variae sunt hae operae, vt docet pactum Schenckiorum cum rusticis Hermansteinensibus ictum, ac §. XIII. insertum, probantque illa, quae parte i. *der kleinen Schriften* p. 72. differui. IOANNES GVILIELMVS DE GOEBEL, in *tractatu de iure et iudicio rusticorum fori Germanici*, capite III. §. VIII. p. 95. eas recte consistere ait in *Spann- und Hand- oder Fuß-Diensten*. Per *Spann- siue Fabr-Dienste* omnes eae intelli-

intelliguntur operae, quae iumentis praestantur. Operae manuariae sunt vel foenariae, vel frumentariae, vel lignariae, vel domesticae, reliqua. Ne dicam de venatoriis, de angaria, *Bottschafft geben*, et *bastaga*, *Briefe und andere Sachen tragen*, item de vigiliis agendis, aliis, v. g. *zur Trauer lauten etc. Spatzier-Hochzeit- und Gevatter-Fahrten*.* Deinde operae sunt vel determinatae vel indeterminatae.

* Vide huius rei exemplum, quod habetur in parte I. *der kleinen Schriften* p. 55. nota (a).

§. XVIII.

Operas indeterminatas voco, quando rusticus ad labores domino praestandos omni tempore debet esse paratus. Nec obstat, si aut per obseruantiam ad expressa laborum genera et ad certa loca determinentur,* aut semper, vel certis per hebdomadem diebus, ad domini exactionem praestandae sint.** Exemplum habes in pacto Hermansteinensi, supra in medium adlato, quod tamen pariter indeterminatarum operarum praebet argumentum. Adde ea, quae parte I. *der kleinen Schriften* p. 72. 73. annotaui.

D

* Quod



* Quod illustravi parte I. *der kleinen Schriften* p. 72.
 §. LVI. Indeterminatae enim non vocantur, quod habeant neque modum, neque tempus, sed quod certa non sit determinatio. GE. MELCH. DE LVDOLE loco citato p. 281. numero 7.

** Nam olim, etsi omnes operae indeterminatae adhuc essent, legimus tamen hominibus propriis certos dies ad seruitia exhibenda praestitutos. Locorum, ad quae seruibant, admodum probabilis quondam videtur fuisse determinatio, etiam in operis indeterminatis. Sunt tamen iureconsulti, qui seruitia, quae non sunt definita, ex solo dominorum arbitrio pendere aiunt. Alii vero in diuersam abeunt sententiam, et ad obseruantiam et operarum species, quas ante praestiterunt rustici, esse respiciendum censent, adeoque de consuetis, nequaquam vero de insolitis capiendas esse operas indefinitas arbitrantur MATTHIAS BERLICH decisione CCLXXXI. n. 50. sq. ANDR. GAILL libro I. *obseruationum* obf. XVII. n. 4. IOACH. MTNSINGER libro V. obseruatione VIII. n. 7. BENEDICTVS CARPZOV libro I. responsio LIV. n. 13. sq. FERDINANDVS CHRISTOPHORVS HARPPRECHT volumine nouo, consilio IV. n. 454. HERMANNVS VVLTEIVS volumine II. consilio Marburgensi XXX. n. 312. NICOLAVS CHRISTOPHORVS L. B. DE LTNCKER decisione LOC VIII. et IOAN. BALTHASAR L. B. DE WERNHER parte VIII. *obseruatione forensi* CCCXXXIII.

§. XX.

Caue tamen, ne faeuitiae et odii in rusticos incuses, quod ipsis operas, in dubio, indeterminatas imponam. Nam optime monuit GEORGIUS MELCHIOR DE LVDOLEFF,



DOLFF, loco saepius laudato, p. 278. *Appellatio, inquit, operarum indeterminatarum non habet significationem adeo crudelem, quam prae se ferunt querelae subditorum, vel consuetudine morosiorum, vel a caussidicis ita exaggeratae. Sed in effectu modum habent vel sua natura, vel iuxta morem cuiusque regionis. Excluduntur enim intellectu ipso, quae ad excessum pertinent et saeuitiam sapiunt. Et pag. 280. Status operarum indeterminatarum in vnaquaque regione non potest esse talis, ac si omnes et singuli quotidie ad operas vocentur; sed partitio fieri solet, ita ut aequalitas sit inter operarios, neque alter prae altero praegrauetur. - - - Callidi enim satis sunt rustici in minuendo operarum modum et tempus, et ad indeterminatas ipso facto determinandas. Quocirca si per nimiam domini saeuitiam rustici ad incitas ita redigantur, ut ad colendum proprium agrum, vel ad quaerendum victum tempus nullum superesse appareat, recte iudex eas determinabit ad boni viri arbitrium, vide AVGVSTINVM DE LEYSER loco citato specimine CCCCXVIII. p. 1084. 1085. Illustrat haec conclusum senatus imperialis aulici, anno MDCCCXXX, datum, in causa Comitis de*



Isenburg et Büdingen contra pagum Gründau, apud IOANNEM IACOBVM MOSERVM parte VII. *der Reichs-Fama*, capite XX. p. 470. *Wobey dann Ihro Kayserliche Maiestät zu dem Impetraten sich versebet, er werde hierunter allenthalben aller billigen moderation in Anseh- und Abforderung derer Fronen sich gebrauchen, und die Billigkeit dergestalt fürbringen lassen, damit selbige nicht nach denen æussersten Kräften derer Vnterthanen genossen, sondern solchergestalt eingerichtet werden mögen, daß die Vnterthanen noch ferners bey ihrer Nahrung erhalten werden können, gestalten im wiedrigen unverhofften Fall, und da diesem ungeachtet die Vnterthanen einige begründete Beschwerden in das künfftige zu führen Vrsach bekommen solten, Ihro Kayserliche Maiestät nicht entstehen würden - - - - dem inständigen Bitten derer Vnterthanen dermahlein zu deseriren, und die ungemessene de aequo et bono zu verwandeln etc. Vel si modus mutetur, et grauior inducatur; iudex rem determinabit. Probat hoc sententia ab augustissima Camera anno MDCCCXXXIII. mense Maio lata, et a consultissimo viro IOANNE IACOBO ZWIRLEIN, Camerae imperialis Procuratore, ce-
leber-*



leberrimo, mecum beneuole communicata.
Eius tenor hic est:

IN Sachen der Gemeinde Meiningringhausen Appellanten
eines, wieder Georg Friederich von Gaugreben, Appel-
lanten andern Theils; Ist Dr. Schmid sein der non deuolu-
tion halber bescheben Begehren abgeschlagen, sondern diese
Sach von Amts-wegen für beschlossen angenommen, und er-
kannt, daß durch voriger Instanz Richtern übel geurtheilt,
wohl davon appelliret, derowegen solche Vrtbel zu reformi-
ren seye, dergestalt und also, „daß Appellat von Gaugreben,
„wann er weder mit dem vor seiner Belebnung für die Meye-
„rey-Dienste gezahlten Geld-quantum ad 128. Rthl. noch auch
„mit der in [13.] et [42.] benahmter Anzahl der Dienste
„hinführo sich zu begnügen nicht gemeynet, er gleichwahlen
„die appellirende Gemeinde Meiningringhausen mit mehreren
„Diensten, als selbige, wann sie den Fürstlich-Waldecki-
„schen Ambte Landau annoch incorporirer wäre, an ietzt-
„besagtes Amt praestiren müste, zu grauiren, und die
„Meyerey-Diensten gegen das alte Herkommen auf
„anderthalb Tag in ieder Woch zu setzen, nicht be-
„fugt, sondern selbige bey der Proportion worinn sie
„vormahls zu der Fürstlichen Meyerey zu dienen ver-
„bunden gewesen, zu belassen, auch, was er Appella-
„tus, darüber durante lite an Diensten erweislich genossen
„haben möchte, denen Eingefessenen zu vergütben schuldig und
„darzu zu verdammen etc. etc.

D 3 §. XXI.



§. XXI.

Iam ad conclusiones quasdam, quae ex ea re, quam stabiliui, nascuntur. Sic falsum est axioma i. operas rusticas stricte esse interpretandas. * Quis enim sibi persuadebit, homini, qui in meo est patrimonio, ius fuisse statuendi, se hoc illudue, quod iussit dominus, acturum, nec ne? Ergo rusticorum est, ut ostendant, se immunes esse ab hoc illoue operarum genere. Consentiant mecum DAVID MEVIUS parte III. de cisione CXXXI. FERDINANDVS CHRISTOPHORVS HARPPRECHT volumine nouo, consilio III. n. 734. aliique, quos percenset TOBIAS BARTH centuria v. dissensu CCCXXVI. Bene AVGVSTINVS DE LEYSER, loco citato, p. 1074. castigauit eos, qui animum ad L. xx. *π. de regulis iuris* appellunt. Nec ego rusticos ab excubiis, quas domino, vxorie eius, aegrotantibus debebant, in puerperio dominae et in morbo nurus dominicae praestandis, putem absoluedos. Et recte iudicauit ille pag. 1076. rusticos ad operas aedilitias obligatos, tigna, quae propius, attamen maiori pretio haberi possunt, ex locis longinquioribus aduehere debere.

Nec

Nec placet axioma II. quod rustici, ad operas manuaras obligati, operas, cum equis domini praestandas, detrectare queant. Id vero rectissime se habet, quod per illustres IOANNES BALTHASAR DE WERNHER in *enunciatis iuris*, enuntiato CXc. p. 361. docet, eos nimirum, qui operas aedilitias, *Bau-Dienste*, debent, etiam aquam, ad aedificandum necessariam, aduehere debere. Potiora operarum aedilitiarum capita recenset GEORGIUS BEYER in *positionibus Pandectarum* p. 499. nota (a), quo beneuolum lectorem ablegamus. Ex eodem fonte fluit decisio quaestionis: an aucto agrorum numero, operae quoque augeantur? quam adfirmendam esse arbitratur GEORGIUS ENGELBRECHT de *operis rusticorum* §. LXI.

* Exemplo notatu plane digno hoc docet WOLFGANGVS ADAMVS SCHOEPPFIYS, *selectarum decisionum et resolutionum Tubingensium*, decisione vndecima p. 95. - - 103. Speciem, quam proponit, ad liberos Barones de Thann pertinere suspicor, quae sic habet: *Es praetendiret eine ohnmittelbare Ganerbschaft in Francken von ihren Amts-Vuterthanen die Fronen zu einer Altan und neuen Gang an die Burg, welche sich aber deren weigern etc.* Vbi rusticos condemnatos legimus, deciso Tubingensi. Hoc quoque factum conclusio augustissimi senatus imperialis parte prima *der merckwürdigen Reichs - Hof - Raths - conclusorum* numero CCXL.

§. XXIII.

Praeterea rusticos, qui castro vel domui domini aedilitias operas debent, eo casu, si castrum flamma perierit, obligatos credo, ad operas nouo aedificio, quod dominus prope castrum, in eodem pago exstruit, exhibendas.* Idem statuo, de reparando castro, vel fossa noua muniendo. Adde GEORGIVM BEYERVM supra §. XXI. laudatum.

* Nihil enim impedit, quo minus operae ratione vnus loci debitae, etiam ratione alterius loci, qui priori loco surrogatur, praestari debeant, SCHOEPFF loco laudato, p. 102. numero 26. Neque enim necesse est, vt aedificia vno tecto contineantur; sed rustici dominis suis operas aedilitias praestare debent, quamuis aedificia inter se connexa haud sint, vt docet perillustis IO. BALTHASAR L. B. DE WERNHER in *selectis obseruationibus forensibus* parte IIII. obseruatione XXVIII. p. 158. et in *supplemento nouo* parte IIII. obseruatione LVIII. p. 463. Hinc etiam operae ad aliquam praedii partem, ac si haec ad id pertineret, a rusticis praestitae, efficiunt possessionem vel quasi, etiam ratione aliarum illius partium homogenearum, *idem* parte VI. *selectarum obseruationum forensium*, obseruat. CCCLXVIII. p. 605.

§. XXIII.

Ad haec modus videtur statuendus doctrinae LEYSERI p. 1068., qua operas etiam certas et definitas, de quarum excessu rustici conqueruntur, minui a iudice posse ait;

E

in

in operis autem principi debitis hoc iudici non licere, putat. Summa enim imperii tribunalia hoc non concedent auctori.

§. XXV.

Operis non indictis haud praescribi, recte ait per illustres IO. BALTHASAR DE WERNHER in *enunciatis iuris*, enuntiato CLXXV. p. 336. Ita rusticos, qui statis suis diebus extra pagi territorium seruitia iumentis praestiterant, quod per longum tempus ea non peregerant, iudex quidam non debuisset absoluere. * Nec, ut litteras ferant, ii recusare possunt, qui olim eas pertulerunt, *haben Bothen-Gänge gethan*, sed, quia dominus non imperauerat, per multos annos hoc labore superfederant.

* Quaestio erat: num rustici, qui e silua domini ad ligna vehenda obligati sunt, ea in urbem vicinam, quod olim fecerant, vehere debeant? Negavit iudex, rusticos ad hoc esse obstrictos.

§. XXVI.

Recte hoc de argumento decreuerunt Marburgenses, ut patet e parte I. *der kleinen Schriften* p. 72. 73. §. LVI. Placet mihi sententia IO. HENR. DE BERGER in *oeconomia iuris* p. 55. nota duodecima, ubi negat, operis negative, siue

siue priuatiue praescribi nudo non vsu, L. II. de vsu et usufructu legato; sed ex eo demum die, quo indictae et exactae, sed praestitae non sunt, eis praescribi affirmat. Similis est opinio IO. BRVNNEMANNI in *commentario ad pandectas ad L. 1. de operis seruorum*, numero 6. p. 461. Hinc vsus operarum, ob bellum intermissus, non cessat in posterum. Nec vasallus, eas per longissimum tempus non exigens, aut negligens, neque domino feudi, neque agnatis fraudi est, vt probe obseruat a LEYSER p. 1097. specimine ccccxx. Interea neque princeps remittere potest rusticis operas, quas debent priuatis.

§. XXVII.

Quibus ita rite perpensis, certissimum fore existimo, quod pro rusticis in dubio non facile militet praesumptio. Firmabo hanc meam sententiam auctoritate augustissimi senatus imperii aulici. Hic, vbi lis orta inter dominum et rusticos, operarum ratione, rusticanis iniungere solebat, vt durante lite operas, de quibus controuersia erat, praestent domino. Ita in caussa Ludouici de Weyler contra subditos ei in Weyler et Eichelberg de-

cretum legimus parte prima *der merckwürdigen Reichs-Hof-Raths-conclusorum* p. 64. 65: Fiant patentes an die Vnterthanen zu Weyler und Eichelberg etc. dabeneben die behærige Fron-Dienste und andere praestanda an den von Weyler ohnweigerlich zu leisten. Quod si iudici non paruerint rustici, neque praestiterint operas; exsecutio sententiae suscipitur, vt in eadem caussa factum legimus, loco laudato, p. 67.: *hiernachst die dem von Weiler in statu possessorii gehærigen Vnterthanenpraestationes, besonders Fron-Dienste - - - executive - - beyzutreiben etc.* Huc faciunt rescripta Caesaris Iosephi in caussa Comitatus de Solms et Braunfels contra rusticos comitatus Hoyn- genis, operas facere recusantes, quas exhibet IMMANVEL WEBER in opusculo *de rustico seditioso*, in appendice. Quibus addas velim, quae GEORGIUS MELCHIOR DE LVDOLFF in *commentatione systematica de iure camerali*, sectione I. §. x. numero XXXVIII. p. 149. memoriae prodidit.

SECTIO





SECTIO SECVNDA

DE

LICITA REDEMPTIONE ET MVTA- TIONE OPERARVM.

SVMMARIA.

- §. I. **M**AIORIBVS nostris re-
demtio operarum licita
visa est. Quod probatur fide
diplomatum.
- §. II. Demonstratur amplius.
- §. III. Remouetur dubium, a vi-
lissimo pretio, pro redemptione,
sumtum.
- §. III. et V. Quod pristinis Ger-
manis hac in parte licitum;
id hodiernis permissum cense-
tur.

§. I.

VT nunc in alterum caput tractationis huius in-
grediar hoc de argumento ego animum meum
paucis ostendam. Si res secundum regulas iu-
ris ciuilibus Romani erit diiudicanda; profecto certum
esset, eiusmodi operarum redemptionem non esse in
arbitrio domini positam. Nam qui debitor est facti,
praecise ad hoc praestandum est obligatus, quippe qui
ne quidem liberatur, praestando id, quod interest cu-
iusdam. Quocirca IO. BRVNNEMANN in commenta-
rio ad L. I. C. de operis libertorum statuit, mutatio-
nem operarum in pecuniam, licitam non esse. Idem
sentit IO. ANDR. FROMMANN de operis subditorum
maxime rusticorum §. xxxvi. vt iam non dicam, debi-
torem aliud pro alio soluere, non esse obligatum, L. II.
§. I. D. de R. C. Dum vero versamur in causa ex in-
stitutis Germanorum repetenda, atque Romanis incogni-
ta; necesse est, vt ante omnia maiorum nostrorum hac
de re sententiam exploremus. Si quidem vetus instru-

E 3

men-



mentum, quod NIC. SCHATEN parte I. *annalium Paderbornensium* p. 508. protulit, inspiciamus; patebit redemptionem operarum in usu fuisse Germanis. Monumentum, anno CLOXXXVI. scriptum, ita habet: *Præterea talem obtinere iustitiam litones non uxoratos statuimus, ut uno anno duobus solidis leuis monetæ seruitium suum redimant --- sed indigentiae et utilitati suae consulant; femineo autem sexui redemptionem duodecim leuim numorum statuimus.* Alia exempla notauit FRID. CAROL. BVRIL. d. p. 746. sq.

§. II.

Confirmatur hoc, atque clarissimis verbis probatur charta Chrodegangi, Metensis episcopi, quam dedit anno ICCCXLV.: *debent foenum secare, et in horreum ducere, angariam usque ad flumen Saxae, aut pro redemptione decem denarios.* Clarissimum aequè testimonium perhibent CHRONICA LAVRISHEIMENSIA in descriptione hubarum ac pensionum ad curiam Furde pertinentium, cuius verba ita habent: *redemptio vero operum, quae ex his hubis principali curiae in Fürden tribus in anno mensibus, videlicet Maio, Augusto, Septembri iure exhibentur, satis est in Varenberg. Sex hubae soluant his singulis mensibus singulae sex denarios, in Fürde undecim hubae singulae tres denarios in Crumbach undecim simul tres denarios.* Confer ANDREAM OCKELIVM de praescriptione immemoriali, capite II. thesi XII. p. 33.

§. III.

Ne autem obiicias, dicasque, has probationes vel ideo nullius esse momenti, quoniam inter operas et vilissimum pretium nulla intercedat aequalitas, atque haec minus bene inter se conueniant: scias velim, pre-
pretium

tium olim vilissimum in Germania ob argenti penuriam rebus impositum fuisse; id quod probavi parte III. *der kleinen Schriften* p. 710. 711. Cui vero mea non faciunt fatis, eum conuincet illustris IO. GOTTFREDVS DE MEIERN in erudito opere, quod vocat *Gedancken von der Rechtmäßigkeit des sechsten Zins-Thalers in Teutschland*, p. 17. et sequenti, atque GVIL. ERN. TENZEL in *den monatlichen Unterredungen auf das Jahr clo lcc xcv.* p. 223. et sequentibus, et IO. GEORG. KEYSLER p. 113. *partel. der neuesten Reisen.*

§. III.

Quum vero maioribus nostris operarum redemptio et aequa, et iusta, et licita, visa fuit; ego profecto comprehendere non possum, quid obstet, quo minus hodie dominis liceat operas mutare, et eorum loco pecuniam accipere? At vero hanc sententiam quam plurimis superioris aevi iureconsultis displicere video. Tametsi complures id largiuntur, si inutiles domino sint operae, mutationem licitam esse, in quorum numero sunt praeter SIXTINVM et BALTHASAREM, HERMANNVS ANTONIVS MARIA DE CHLINGENSPERG l. d. p. 169. IO. HENR. DE BERGER in *oeconomia iuris* libro I. titulo II. §. VIII. nota 9., IO. BALTHAS. L. B. DE WERNHER parte V. *observatione forensi* XXVIII. HENR. HAHN in *observatis ad MATTHAEVM WESENBECEVM* libro XXXVIII. titulo I. p. 223. et quos longa serie enumerat DAVID. GEORG. STRVBE *de iure villicorum* capite V. §. XX. p. 239. sq. Nec cessant multi iuris periti pro sententia, operas mutari non posse, tanquam pro salute sua, depugnare. In horum numero fuisse videtur illustris IO. NIC.

HERT,



HERT, vt e volumine II. *consiliorum et decisionum*, decisione CLOVIII. suspicor. Doctissimus AVG. DE LEYSER specimine CCCCXVIII. *meditationum ad pandectas* p. 1088. eo procedit, vt, pro operis pecuniam rusticos nec offerre, nec dominos exigere posse, statuatur. Idemque locatori praedii, cui operae aestimato addictae fuerunt, quamuis iis vti non possit, denegat. Similis est doctrina GEORGII BEYERI in *positionibus pandectarum* libro VII. titulo I. VII. §. XXV. p. 208. et p. 499. §. VI. et LÜD. MENCKENII in *synopsi theoriae et praxeos pandectarum* titulo *de operis libertorum* §. VII. p. 774. In hunc quoque numerum referendi sunt IO. PHILIPP. RICHTER decisione XCVIII. n. 31. HERM. ANTON. MARIA DE CHLINGENSPERG *de hofnarchiali iure* capite XXVIII. n. 9. sq. p. 168. et IO. ANDR. FROMMANN *de subditorum et maxime rusticorum operis* §. XXXVI. p. 41. sq. Omnino etiam negauit, earum redemptionem licitam esse, CHRISTIAN. THOMASIVS in *notis ad singulos pandectarum titulos*, libro VII. titulo VII. p. 119.

§. V.

Potissima negantium ratio nititur L. I. C. *de operis libertorum*, et L. V. C. *de agricolis et censitis*. Quae leges vti de Romanis agunt; Germanorum rustici autem ab illorum rusticis longissime fuerunt disiuncti, (§. VIII. sectionis primae); ita hac in parte a Romanis ad Germanos tam firmum argumentum ducitur, ac si quis ex Europaeorum facie Afrorum colorem colligere vellet.



155053

8

AB 155053

Kil 468 nd





Farbkarte #13

B.I.G.

16

ESTOR IC.
ATIO

TIONE
STICOS
PERARVM
EMTIONE



RITTERIANA
XXII.

